



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

XXIII. Quod excommunicatus in vna dioecesi euitetur in aliis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

ANNO CHRISTI
1473 ecclesiastica careant sepultura. Si vero fuerint se-
pulti , exhumentur , etiamsi huiusmodi raptore
ante obitum pœnitentiæ sacramentum receperint,
& de rapinis satisfecerint : nec pro eis diuina di-
cantur, aut oblationes admittantur. Adiicientes ni-
hilo minus , quod famosi aut publici raptore vltra
pœnas prædictas ipso iure sint intestabiles , nec ex
testamento capere possint : filiique eorum sint in-
habiles ad beneficia ecclesiastica obtainenda. Cle-
ri vero hanc nostram constitutionem infringen-
tes , quinque florenorum pœnam incurvant pro
expensis Concilii , alias & superioris arbitrio pu-
niendi.

XXIII.

Quia vna & eadem est sancta mater ecclesia ,
statuimus sacro approbante Concilio , vt si super
fractione , violatione aut derogatione libertatis seu
immunitatis ecclesiæ , & bonorum immobilium ec-
clesiarum occupatione , prælatus seu officiales vel
vicarii aliquem excommunicauerint , & voluerint
quod huiusmodi excommunicatio in aliis dioce-
sibus obseruetur ; tunc episcopi qui per eum fue-
rint requisiti , receptis literis suis , illas pro plena
probatione quantum ad hoc habentes , nulla par-
tis allegatione vel exceptione admissa , teneantur
excommunicationem prædictam in suis dioce-
sibus obseruare , & obseruari facere & publicari. Si
tamen decreuerit ad interdictum procedere , qua-
lecumque tale sit interdictum , & voluerit quod alii
prælati illud obseruent , vtputa quia delinquens
declinat ad eorum dioeceses , vel habet in eisdem

Concil. Tom. 34.

H

58 SIXTVS
P. IV. CONCILIVM FRIDERICVS III. IMP.
HENRICVS IV. R. CASTELLÆ.

ANNO
CHRISTI
1475.

terras, dominia, vel districtus, tunc prælatus vel iudex seu officialis teneantur mittere ad conuincinorem episcopum vel metropolitanum processum huiusmodi, suo & duorum peritorum nominibus roboratum, qui, constito sibi de legalitate processus, simpliciter & de plano, absque citatione seu audiencea partis, literas suas testimoniales exinde impendant. Quo facto, omnes prælati super hoc requisiiti teneantur interdicta huiusmodi in suis diœcesibus iuxta formam processus obseruare & obseruari facere.

XXIV.

Sanctorum patrum statuta proclamat, laicis disponendi de rebus ecclesiasticis nullam esse attributam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. In tantum tamen laicorum audacia inoleuit, quod in alienam messem falcem suam mittere non formident; taliaque presumunt, per quæ ecclesiastica violatur libertas. Nam ut efficax rerum mater experientia manifestat, nonnulli domini temporales, iustitiae, rectores, ciuitates vel communitates banniunt & expellunt de ciuitatibus, villis & terris suis, & in quibus curam gubernationis exercent, clericos in metropolitanis, cathedralibus & aliis ecclesiis dignitates & beneficia obtinentes, & aliis ingressum & aditum suarum ecclesiarum interdicunt in diuini cultus detrimentum, & ecclesiasticæ libertatis derogationem. Ideo sacro approbante Conclio statuimus, ut nullus sæcularis dominus temporalis, cuiuscumque status aut dignitatis seu con-